

*Observanda post administrationem Sacram. Poenitentiae.*

779. I. Post exceptas confessiones labore suum offerat Deo hac vel simili oratione: *Suscipte, o mi Deus, hunc laborem et obsequium ex amore tui et proximi susceptum: gratias ago pro tuo adjutorio, et peto humillime remissionem defectuum a me commissorum; omnes et singulos, quos absolvisti, tibi enixe commendabo, ut in novitate vitae ambulent; cor mundum crea in iis, et spiritu principali illos confirma.*

780. II. Recte suasit s. Xaverius, ut Confessarius post exceptas confessiones expendat, quomodo, qua mansuetudine, qua patientia etc. munere suo sit functus; quomodo dubia graviora resloverit; si dubitet de data resolutione, consulat libros aut alios viros doctos, ut de errore commisso in proxima confessione possit admonere poenitentem, et deinceps exactius fungi officio suo.

781. III. Si erraverit Confessarius judicando circa peccatorum gravitatem, numerum aut speciem, absolutio propterea non est invalida, juxta *Comm.*, quia tunc ex parte poenitentis nullus adest voluntarius defectus dispositionis, nec illud judicium erroneum in Confessario tollit potestatem, neque voluntatem absolvendi: ergo. Si poenitentem male instruxerit, in proxima confessione errorē tollat. Quid censendum sit, si confessarius erraverit circa obligationem restitutionis, dictum est P. I. n. 787. Si advertat absolutionem a se datam fuisse invalidam, per se loquendo, tenetur in proxima confessione monere poenitentem, quod facile fiet, si jubeat, ut de omnibus peccatis se denuo accuset et doleat. Extra confessionem non moneat, nisi prius a poenitente facultatem obtineat loquendi de confessione, siquidem id fieri possit sine gravi incommodo et scandalo. Si vero monere nulla ratione possit, Confessarius agat poenitentiam de suo peccato commisso ob malam administrationem Sacramenti, et poenitentem Deo commendet, ut per contritionem vel alias confessiones justificetur. Vide P. *Suar.* de poenit. d. 32. sect. 2.

SECTIO III. *De Casibus reservatis.*

*Norbertus Sacerdos e dioecesi Bambergensi veniens Herbipolim, Nicasius Religioso confitetur peccatum complicis. Nicasius statim monet, hunc casum esse reservatum in dioecesi Herbipolensi, se vero non habere facultatem absolvendi a reservatis. Reponit Norbertus, non esse reservatum hoc peccatum in dioecesi Bambergensi. At reservatum est, subjungit Nicasius, ubi modo confiteris; imo a summo Pontifice Bened. XIV. reservatum esse satis constat: ac proinde Norbertum sine absolutione dimittit. Altera die Norbertus ultro reddit ad Nicasium, petitque sibi ostendi reservationem Pontificiam, ac de reservatione casum varias Nicasio movet quaestiones.*

782. Q. I. An Nicasius recte negarit absolutionem? R. Si Norbertus complex complicem absolvit, non potuit absolviri a Nicasio: potuit autem, si complicem non absolverit.

783. Q. II. Quomodo fieri possit reservatio, et quotuplex illa sit? R. Ad 1. Reservatio spectata *quoad modum* reservandi alia fit *directe*, quando Superior reservans jurisdictionem Confessarii, quam restringit, habet sibi subjectam aut subordinatam; sic Episcopus habet sibi subjectam jurisdictionem Parochorum et Curatorum sua dioeceseos. Alia *indirecte* fit, quando Superior reservans jurisdictionem Confessarii non habet sibi subordinatam, eo quod hic non sit ejus subditus, eidem tamen subjicit subditum suum *quoad aliqua tantum peccata, non quoad omnia*, a quibus proinde talis Confessarius non potest absolvire, cum careat jurisdictione in poenitentem

respectu istorum peccatorum, quae sibi reservavit Episcopus. *La Croix* L. 6. p. 2. n. 1603.

784. R. *Ad 2.* Reservatio *quoad finem* spectata alia est *poenalis*, quae fit ex motivo vindicandi delictum: alia *medicinalis*, quae fit ex motivo praeservandi a peccato. Addit P. Holzmann p. 2. tom. 2. n. 686. alia *mixta*, quae fit ex utroque motivo praedicto, ibidemque ait, mentem, sive motivum reservantis colligendum esse ex verbis decreti reservationis. De facto videntur omnes reservationes esse mixtae: quia communiter fiunt ex utroque motivo.

785. R. 3. Reservatio *quoad causam efficientem* iterum alia est *Papalis*, quae fit a summo Pontifice pro tota Ecclesia; alia *Episcopalis*, quae fit ab Episcopo pro sua dioecesi: denique alia *Regularis*, quae fit a Superiore Regulari pro toto Ordine, vel suis immediate subditis Regularibus. Porro illi omnes et soli possunt aliqua peccata reservare, ut ait *Babenst.* tr. 8. p. 6. d. 6. a. 4. n. 4., qui habent potestatem aliis conferendi jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Ibid. n. 8. affirmit cum *Lugo, Mezger, et Illsung* potestatem reservandi Parochorum non esse in usu, viderique per desuetudinem penitus abrogatam; praesertim si quaestio sit de Sacellanis et Cooperatoribus, utpote qui suam jurisdictionem modo non habent a Parochis, sed ab ipso Ordinario illos constitue.

786. Q. III. Quaenam peccata Praelati Regulares possint reservare? R. Ex Decreto Clem. VIII. anno 1593. 26. Maji edito: *Nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis undecim, quae ibi enumerantur, videlicet:*

1. *Veneficium, incantationes, sortilegia.* 2. *Apostasia a Religione, sive habitu dimisso sive retento, quando fit egressio extra septa monasterii.* 3. *Nocturna ac furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.* 4. *Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.* 5. *Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.* 6. *Procuratio abortus et auxilium seu consilium ad hunc faciendum post foetum animatum, etiam effectu non subsecuto.* 7. *Falsificatio manus seu sigilli officialium monasterii aut conventus.* 8. *Furtum de rebus monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.* 9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.* 10. *Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cuiuscumque personae.* 11. *Malitiosum impedimentum aut retardatio vel apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

In eodem Decreto paulo post subiectitur: *Si quod aliud praeterea peccatum grave pro Religionis conservatione, aut conscientiae puritate reservandum videtur, id non aliter fiet, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis matura discussione et consensu.* Quinam de facto ex praedictis casibus sint reservati in singulis Religiosis Ordinibus, docent statuta cuique sacrae familie propria.

Casus hic undecim ad hosce versiculos apte rediguntur:

*Sortilegus, proprius, nocturnus, apostata, furtum, Luxurians, laedens, falsarius, impediensque Scribentem ad Patrem monachum, perjurus, abortus.*

787. Q. IV. Quinam sint casus summo Pontifici reservati in corpore Juris? R. Secundum partes singulas Juris Canonici casus Papae de Jure communi reservatos sequentes collegit *Palao de cens. d. 3. pun. 23. §. 2. et seq.*, queis annexa est excommunicatio.

788. I. Ex Decreto Gratiani c. 29. *Siquis suadente XVII. q. 4. Excommunicatur excommunicatione soli summo Pontifici reservata, injiciens ma-*

*nus violentas in Clericum*, eum occidendo, mutilando, vulnerando, graviter percutiendo, trudendo, detinendo, trahendo, vinculando aut vi aliquid eripiendo, talemque violentiam inferendo, cui resistere nequeat.

Addit *Palao l. c.*, quod actio contra clericum debeat esse tam gravis et statui clericali tam injuriosa, ut seclusa excommunicatione arbitrio prudenter sufficiat ad peccatum mortale constituendum, uti colligitur ex verbis textus: *Suadente diabolo*: item ex c. *nemo* 11. q. 3. Hinc *excipe* 1. percussione levem, quae non involvit circumstantias aggravantes, a qua Ordinarius absolvit. c. *pervenit* de sent. excommunic. *Excipe* 2. Clericos impuberes, qui se percutiunt. *Excipe* 3. Praelatos Ecclesiasticos et instructores, qui clericos suae curae commissos castigatione moderata puniunt. Ob modum percussionis, *excipe* 4. ab hac censura illum, qui ex subita passione, animo non advertente, vel joci causa clericum percutit. 5. Illum, qui ignorat clericum esse, quem percutit. 6. Illum, qui ob justam sui defensionem clericum aggressorem detinet, vel percutit, quia haec non est violentia, sed defensio, ut constat ex c. *Si vero*, c. *Ex tenore*, c. *Super eo*. de sent. excomm. Denique *excipe* 7. nisi clericus privilegium canonis amiserit per veram aut interpretativam bigamiam, per dimissionem habitus et tonsurae clericalis, per exercitium artis ignominiosae, mimi, ludionis, cauponis, lanionis, per degradationem realem, per associationem inter latrones etc.

789. Nomine *Clericorum* intelliguntur *primo* constituti in sacris Ordinibus, etiam excommunicati, suspensi, aut verbaliter depositi. *Secundo*, Clerici constituti in Minoribus, etiam prima tonsura tantum initiati. *Tertio*, Monachi, Moniales et Novitii hoc canone gaudent c. *non dubium*, c. *de Monialibus* 10. c. *Religioso*. de sent. excomm. Plura de hoc casu apud *Bu-*  
*semb. L. 7. c. 2. a. 4.*

#### *Casus reservati in Decretalibus.*

790. II. *Excommunicatus a Delegato Papae ob solutionem non praestitam*, si per annum culpabiliter maneat in hac excommunicatione; deinde a solo Papa absolvitur; c. *quaerenti*. 26. de off. et potest. jud. deleg.

791. III. *Advertens se falsas habere litteras Apostolicas*, h. e. nomine curiae Apostolicae falso expeditas, et non destruens vel reservans eas intra 20. dies, si saecularis sit, excommunicatur, si clericus suspenditur, et a solo Papa absolvitur; c. *Dura*. de crim. falsi.

792. IV. *Confringentes et spoliantes violentia sacrilega Ecclesiam*, postquam Episcopus eos fecit denuntiari, sunt excommunicati et a solo Papa absolvuntur. c. *Conquesti*. 22. de sent. excomm. Juxta alios haec excommunicatione jam lata est in c. *Canonica*. 11. q. 3. Item in c. *Omnes Ecclesiae* 17. q. 4.

793. V. *Incendiarii ab Episcopo speciatim denuntiati*. In c. *Tua nos* de sent. excomm. Ex hoc quidem cap. *Bonac.* t. 3. de cens. d. 2. q. 3. pun. 43. affirmat, quod incendiarii ipso jure excommunicati sint, quia ibi Pontifex illos aequiparat clericorum percussoribus. *Palao* vero l. c. pun. 24. n. 5. cum *Cajet*, *Barbosa*, *Navar.* et aliis ait, veriorem esse sententiam, quod nullus incendiarius excommunicatione afficiatur ipso jure, sed posita Dioecesani sententia, ut ibi fuse probat ex c. *Si quis membrorum*: item ex c. *pessimam*. *Ibid.* n. 8. addit, quod contracta excommunicatione per sententiam judicis, ejus absolutio reservetur Pontifici.

794. VI. *Scienter communicantes cum nominatim excommunicato in eodem crimine*, propter quod excommunicatus est, ei consilium, auxilium vel favorem impendendo, absolvuntur tantum ab excommunicatore, scil. Papa vel Episcopo excommunicante; c. *nuper*. 29. de sent. excomm. *Ibid.* ex c.

*significavit*. 18. clericus, qui scienter ac sponte participat excommunicato a Papa in divinis officiis, involvitur eadem excommunicationis sententia, et tantum absolvendus est a Papa.

Qualiter excommunicatio lata in cap. *Clerici de Immunit*. Ecclesiar. adversus imponentes, exigentesque tributum a personis ecclesiasticis, reducta sit ad terminos Conc. Later. in c. *Non minus*. et c. *Adversus*. eod. tit. bene explicat *Palao* de cens. d. 2. pun. 19.

#### *Excommunicationes reservatae in L. 6. Decret.*

795. VII. Praeter alias excommunications, quae recurrunt in Bulla Coenae, excommunicatio fertur in cap. *Quicumque*. de sent. excomm. in 6. in eos, qui ob censuram excomm., suspensionis vel interdicti dederint licentiam, vel datam usurpat personaliter vel realiter offendendi eos, qui censuram tulerunt, si in ea contumacia spatio duorum mensium perseveraverint. Vide *Bonac.* de cens. d. 2. q. 3. pun. 15. n. 3. et 5.

796. VIII. Absoluti a censura in articulo mortis, vel alio casu necessitatibus ab eo, qui alias non potest absolvere, si postea cessante impedimento se non praescerent ei, a quo absolvii debeant, reincidunt in excommunicationem ferenti Episcopo vel Papae reservatam: uti et ii, qui a Papa vel ejus Legato ea conditione absolvuntur, ut se suo Ordinario postmodum sistant, et hoc facere negligunt; c. *Eos qui de sent. excomm. in 6.*

#### *In Clementinis.*

797. IX. In Clement. 1. §. *Verum*, de haereticis, cum reservatione excommunicantur Inquisitores Episcopo inferiores, eorumque vices gerentes, si in officio suo ita deliquerint contra justitiam et conscientiam, ut spe lucri non procedant adversus haereticum, vel de haeresi suspectum, eo casu, quo procedere tenebantur, vel ex odio alicui falso haeresim imponant etc. Vide *Palao* l. c. pun. 26., *Bonac*, *August*, *Barbosa*.

798. X. In Clement. *Religiosi*, de privilegiis, excommunicantur excommunicatione soli Papae reservata Religiosi administrantes moribundis Sacraenta Eucharistiae, vel extremae unctionis, matrimonia solemnizantes et benedicentes contra jura parochialia, et non habita super his speciali licentia Parochi. Item absolventes sine licentia ab excommunicationibus reservatis. Denique concedentes plenariam peccatorum remissionem sive indulgentiam sine facultate Sedis Apostolicae.

799. XI. In Clement. 1. *Si quis suadente*, de poenis, excommunicantur cum reservatione percutientes Episcopum, capientes et bannientes, vel hoc mandantes, ratificantes, socii, consiliarii, fautores, defensatores; *ibid.* aliae adhuc poenae his delinquentibus adduntur.

800. XII. Clerici Saeculares et Religiosi inducentes aliquem ad ineundum pactum, votum vel juramentum de sepultura in sua Ecclesia eligenda, vel jam electa ulterius non mutanda. Clement. *Cupientes*. §. *Sane*. de poenis. Monet *Palao* l. c. n. 21. et 22.. Parochos non adstringi hac excommunicatione, utpote quae in eorum favorem lata est, neque eos Religiosos, qui simpliciter, non vero per juramentum, votum aut promissionem ad illam electionem inducunt.

801. XIII. Domini temporales, qui cogunt Sacerdotes celebrare tempore interdicti, et qui evocant ad Missam interdictos et excommunicatos, et qui prohibent tales post monitionem abire ex Sacro. Item excommunicati et interdicti, qui nominatim a celebrantibus moniti, remanere prae-  
sumpserint. Clement. *Gravis*, de sent. excomm.

*In Extravagantibus.*

802. XIV. In Extrav. *Detestandae*, de sepult. excommunicantur excommunicatione Pontifici reservata exenterantes, et frustatim decoquentes corpora defunctorum, ut separatis carnibus ossa conservari, vel sepulturæ causa alio deferri possint. Juxta Cajet. V. excomm. c. 70., *Bonac.*, *Palao* l. c. pun. 27. n. 4. haec excommunicatio tantum comprehendit illos, qui has actiones praestarent, ut corpus mortuum alibi tumulandum deferrant, non vero qui ex alio motivo, v. g. causa anatomiae, vel ex odio aut vindicta, aut propter superstitionis usus id faciunt.

803. XV. In Extrav. *Grave nimis*, de Reliquiis et Vener. SS. Damnantes peccati vel haereseos alterutram sententiam affirmativam vel negativam de immaculata Conceptione B. V. (quod hodie post ecclesiae decisionem de immac. Concept. quoad negativam non amplius valet) et speciatim asserentes, peccare mortaliter eos, qui immaculatam Conceptionem credunt, ejusdem officium celebrant, sermonem de ea audiunt, vel libros ejusmodi tenent.

804. XVI. In Extrav. *Sane*, de simonia. Dantes vel recipientes aliquid ob ingressum religionis per modum pacti vel conventionis. Notat hic *Palao* primo quod huic excommunicationi locus non sit, si aliquid gratis, et sponte offeratur, aut accipiatur sine ullo pacto directo vel indirecto; item si pecuniam tribuas, non ut in religionem recipiari, aut professio tibi concedatur, sed in tui, aliorumque sustentationem, quia sic non fit commutatio rei temporalis pro spirituali, sed pro sustentatione temporali. Secundo, quod hic intelligatur ingressus perfectus, qualis est professio, seu votorum emissio, non autem susceptio habitus, seu Novitiatus. Tertio, quod *Clemens VII*, ut monialium scrupulos sedaret, conventiones permisit de dote tradenda, et recipienda pro congrua sustentatione.

805. XVII. In Extrav. 2. *Cum detestabile*, de simonia. Committentes *Simoniam realem*, h. e. dantes, recipientes, procurantes, mediantes aliquid dari pro susceptione, aut collatione ordinum, aut pro conferendo beneficio vel officio ecclesiastico.

806. XVIII. In Extrav. *Excommunicamus*, de sent. excomm. Dantes vel recipientes, aut promittentes aliquid pro justitia vel gratia in curia Romana obtinenda; item non denuntiantes ejusmodi nundinatores justitiae, imo et utentes tali gratia aut justitia.

807. *Adverte I.* Absque dubio praeter dictas adhuc plures reservations continentur in corpore juris, ut videre est in cap. *Fundamenta*, de Elect. in 6. Item Extrav. 1. *Viam ambitiosae*, de Regul., ubi *Martinus V.* ut prospiceret conservationi Ordinum mendicantium, excommunicat ipso facto quoslibet Religiosos Ordinum mendicantium, qui sine speciali licentia Sedis Apostolicae convolant ad alios Monasticos Ordines (Ordine Carthusiensium tantum excepto) et ipsos Religiosos recipientes eidem excommunicationi subjicit. Item in Extrav. *Ad nostram*, de Regular. excommunicantur Religiosi cujuscumque Ordinis, qui ad partes ultramarinas, ubi pauci fideles versantur, se conferunt absque expressa suorum Superiorum licentia sibi per ipsius litteras patentes concessa. Item ipsi Superiores licentiam ejusmodi concedentes aliis sui Ordinis fratribus, quam viris litteratis, providis et expertis. Quia vero hae et similes aliae non sunt universales, aliae vero dubiae, ideo sufficiat supradictas magis communis nosse.

808. Q. V. Quinam sint casus Bullæ Coenæ? Ante R. *adverte*. Bulla Coenæ, quae incipit: *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia*, est Decre-

tum, quod olim summi Pontifices singulis annis die Coenæ Domini, sive Jovis Sancto renovare solebant, quam consuetudinem *Clemens XIV.* abrogavit. In ea cum excommunicatione latae sententiae soli summo Pontifici reservati casus sunt sequentes, quorum explanationem in extenso tradit *Palao* de cens. d. 3. a puncto 2. usque ad 22.

In §. I. Excommunicantur omnes haeretici, eorumque credentes, h. e. qui eorum erroribus assentientur signo aliquo externo et manifesto. *Eorum receptatores*, h. e. qui animo occultandi haereticum recipiunt, ne a judicibus capiatur, neve haereticorum poenas luat: item eorum, quatenus haeretici sunt, defensores aut fautores. Item *Schismatici*, qui se a Romani Pontificis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt. Denique ii, qui sine speciali facultate scienter legunt, retinent, imprimunt aut defendunt libros haereticorum de Religione tractantes, vel haeresim continentates.

In §. II. Appellantes ab ordinationibus seu mandatis summi Pontificis ad universale futurum Concilium, nec non ii, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

In §. III. Piratae discurrentes mare Ditionibus Pontificis subjectum, praecipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores, defensores.

In §. IV. Surripientes naufragorum Christianorum cujuscumque generis bona sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa. Hie intelligitur, ut aut *Palao* l. c. pun. 5., surreptio pcaminosa, quae fit animo retinendi illa bona.

In §. V. Imponentes vel augentes nova pedagia, seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a Jure, seu ex speciali Sedi Apostolicae licentia permissis; item exigentes prohibita imponi, vel augeri.

In §. VI. Falsificantes litteras Apostolicas, nec non falso fabricantes eas et etiam falso signantes sub nomine Rom. Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

In §. VII. Deferentes arma, aut alia usui bellico idonea ad Turcas, et alios Christiani nominis inimicos, vel ad haereticos per sanctae Sedis sententiam expresse et nominatim declaratos. Item annunciantes vel per se vel per alios iisdem in damnum Catholicae Religionis, quae statum Christianae reipublicae concernunt.

In §. VIII. Impedientes seu invadentes eos, qui vietualia seu alia ad usum Rom. Curiae necessaria adducunt.

In §. IX. Violentas manus injicientes per se vel per alios in eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, et ab ea recedunt. Item qui sine jurisdictione ordinaria aut delegata similia perpetrare audent contra morantes in eadem Curia.

In §. X. Violentas manus injicientes in Romipetas sive peregrinos ad Urbem devotionis seu peregrinationis causa accedentes, et in ea morantes, vel ab ea recedentes. Item in hoc dantes auxilium, consilium vel favorem.

In §. XI. Violentas manus injicientes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuntios, aut eos a suis Dioecesis, Territorii, Terris seu Dominiis ejicientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

In §. XII. Occidentes vel per se, vel per alios, seu quoquomodo percutientes, bonis spoliantes eos, qui pro negotiis suis ad Romanam Curiam recurrent, ut eorumdem Advocatos, Procuratores, Agentes, Auditores.

tores vel Judices super dictis negotiis deputatos. Item praestantes ad hoc favorem, auxilium, vel consilium.

In §. XIII. Appellantes a gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem: facientes appellationem talem una cum actorum extraditione admitti: impedientes mandata Apostolica executioni tradi, aut a tabellionibus instrumenta confici, et confecta parti litiganti tradi: injicientes violentas manus in actores, et litterarum Apostolicarum executores; prohibentes, ne quis recursum habeat ad sanctam Sedem, gratias impetrat, vel impetratis utatur; aut supprimentes ejusmodi litteras apud se, vel alias retinendo.

In §. XIV. Avocantes causas spirituales, vel spiritualibus annexas a judiciis ecclesiasticis (intellige Romanis), impedientes eos, qui ibi causas suas prosequi volunt; compellentes partes, quae agunt, ut litteras suas a dictis judiciis ecclesiasticis revocent et consentiant, reos sive actionatos a censuris et poenis inflictis absolvit; impedientes litterarum Apostolicarum executionem, et omnes ad hoc quoquo modo favorem praestantes.

In §. XV. Trahentes vel trahi facientes, aut procurantes personas ecclesiasticas ad tribunalia saecularia: nec non condentes statuta vel decreta in praejudicium libertatis Ecclesiasticae, seu praejudicantia juribus alicujus Ecclesiae.

In §. XVI. Impedientes Praelatos et Judices Ecclesiasticos in sua jurisdictione Ecclesiastica, eludentes eorum judicia, et recurrentes ad Curias saeculares; procurantes decerni vel exequi, ac decernentes vel exequentes mandata poenalia dictis juribus ecclesiasticis derogantia; omnes denique ad hoc favorem praestantes.

In §. XVII. Usurpantes jurisdictiones, fructus, redditus et proventus ad Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, vel ea sequestrantes.

In §. XVIII. Imponentes decimas, et alia onera Clericis, Praelatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, et Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, aut eorum fructibus; exigentes aut recipientes etiam a sponte dantibus hujusmodi injustas praestantias; cooperantes et quoquo modo favorem ad hoc exhibentes.

In §. XIX. Saeculares capientes vel bannientes Clericos, vel processantes, aut sententiam ferentes, aut exequentes contra personas ecclesiasticas in causis criminalibus vel capitalibus sine Sedis Apostolicae licentia.

In §. XX. Omnes illi, qui per se seu alios directe vel indirecte sub quocumque titulo praesumpserint invadere, destruere, occupare, ac detinere in totum, vel in partem terras et loca vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, eique mediate vel immediate subjecta, et illius jurisdictionem usurpantes.

In §. XXI. Absolutio a praedictis casibus reservatur soli summo Pontifici, exclusis omnibus variorum ordinum privilegiis.

In §. XXII. Ita habetur: *Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicuii beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus.*

Hic notat *Palao l. c. pun. 22. n. 5. cum Navar., Suar., Bonac. et aliis,* quod haec postrema excommunicatione, etsi olim reservata fuerit, teste *Cajetano*, nullam tamen contineat reservationem, eo quod statuta sit post reservationem praecedente clausula, ideoque non extendatur ad subsequentia. Ioid. additum cum *Bonac.* quod, si quis existens in Italia extra Urbem

absolvat ab his censuris *ex praetextu privilegiorum*, quod, inquam, talis incurrat excommunicationem reservatam ex decreto *Clement. VIII.* et ex declar. Cardin. edita anno 1601. 9. Januarii; si vero non ex praetextu privil., sed vel ex malitia vel ignorantia, aut in Urbe, vel extra Italiam, ab excommunicationibus praedictis absolvat, quod tunc non contineatur sub reservatione Clementina.

Memoriae juvandae causa hi casus versibus sequentibus contrahuntur:

*Haeretici, a Papa appellans, cum fure pirata,  
Augens vectigal, vel Breve falsificans.  
Hostibus arma ferens, victum qui se amovet Urbe,  
Quos Papa, aut pietas, aut sua causa ciat.  
Praesulibus gravis, ad laicum spectantia sacrum,  
Praelati, Ecclesiaeque usurpans jura, onus, et qui  
His statuit, capitis noscit eosque reos.  
Sedis Apostolicae terras quique occupet atrox,  
Hos omnes Domini Coenæ anathema ligat.*

809. Q. VI. Quinam sint casus summo Pontifici reservati in Bullario? R. In Bullario Laertii Cherubini excommunicatione summo Pontifici reservata innodati sunt sequentes:

I. *Committentes simoniam confidentialem*, quae ex una parte statim impletur, ex altera vero impletio in tempus futurum differtur eo pacto expresso vel tacito ac confidentia, quod impletio infallibiliter sit secutura: haec fit duobus modis, scil. per accessum vel regressum. Vide P. I. n. 481. 492. et 508. Pactum expressum, quo committitur simonia confidentialis, per accessum hoc aut simili modo fit: *Ego tibi confero, vel procuro hoc beneficium cum pacto, ut mihi, vel fratri meo, aut N. N. idem ex debito justitiae suo tempore resignes.* Tacitum vero: *Si mihi beneficium contuleris, promitto, quod idem beneficium post decennalem fruitionem tibi ex mera gratitudine velim resignare: vel: Ego te ad hoc beneficium praesentabo, si meo fratri annuatim decimam partem fructuum, vel pensionem tot florenorum, non veluti pretium, sed velut motivum recompensationis, et gratitudinis reciproce soluturus sis.*

Simonia confidentialis per regressum committitur hoc vel simili pacto expresso: v. g. *Resigno tibi beneficium, si ex debito justitiae idem post adeptum aliud mihi resignare velis.* Tacito: v. g. *Cedo tibi hoc beneficium, si fratri meo ex motivo gratitudinis annuam ex eo pensionem pecuniarium velis persolvere.* Vide Bullam *Pii V.* quae incipit: *Intolerabilis. 6. Aug. 1579.*, de qua late agit *Palao* tr. 17. d. ult. de simonia p. 18. et 25.

810. II. Excommunicantur excommunicatione soli Papae reservata foeminae ingredientes monasteria Monachorum, sive Regularium sine prehabita Episcopi vel Superioris actuali licentia, solum sub praetextu facultatis habitualis. *Pius V.* in Bulla: *Personarum Regularium. 22. Octobris 1566.*

811. III. *Viri vel foeminae intrantes monasteria Monialium sub praetextu privilegii habitualis sine licentia actuali Episcopi vel Superioris.* Item admittentes tales personas externas sine dicta licentia actuali. *Greg. XIII.* in Bulla: *Ubi gratia. 23. Decembr. 1582.*

812. IV. Idem *Greg. XIII.* in Bulla edita 14. Junii anno 1584., quae incipit: *Ascendente Domino, praecipit in virtute sanctae obedientiae ac sub poenis excommunicationis latae sententiae, nec non inhabilitatis ad quaevi officia, et beneficia saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia declaratione incurrendis (quarum absolutionem sibi et successoribus ibid. reservat), ne quis, cuiuscumque status, gradus et praeminentiae existat, Societatis Jesu institutum, Constitutiones, aut istam Bul-*